

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 8943

1777

ASCETICI.

1778

mendor ecclesiarum Sancti Spiritus et Sancti Antonij extra Portas Carintheorum &c. Wienne &c. Manus Sec. XVI. est, sed ante an. 1529. quo anno Equites hi religiosi ob Turcarum obsidionem vel in Bulgarn super. Austriae, vel ad alias Ordinis Commendas dilapsi sunt, censente Leop. Fischero in brevi Notitia Urbis Vindobonae P. I. c. 17. p. 239. e quo loco, et iis, quae subplet initio Partis II. conficitur: Fundamenta Ordinis S. Spiritus Vienae jam a. 1208. liberalitate Gerardii cuiusdam jaeta fuisse, extitisseque Hospitale cum dictis duabus sacris aedibus trans torrentem Viennam adpellatum intra Portas Stubarum et Carinthiacam. Sex eius Magistros ab a. 1311. elicere e Documentis Fischero licuit, quibus septimum e Codice nostrum Marcum Boll addamus.

DCCXLI.

R. 2144 Codex membraneus germ. Sec. XVI. Folior. 68. 12. commode perscriptus et minio illustratus Epitomae continet Statutorum Ordinis Equestris Teutonici hoc Rubro: 1582. *Vertzaichnus Etlicher der furnemstenn puden vnd Articuln Vss unsers Ordens buch, durch mich Georg vonn gemingen T. Ordens Chomenthür zu Fryburg gezogen. Praeit Icon Epitomatoris loricati injecto Ordinis pallio, dextra Scuto Ordinis, laeva Scuto Familiae innixi adscripto nomine et munere, ut in titulo, nisi quod*

Brisgovia addatur. De eo nihil peculiare traditum reperi. Ad calcem: Geschriben vnd volendeth zu friburg Im Breyssgö vff sambstag den 29. Xbris. Anno 1582. Sequitur Index contentorum. Insunt vero praeter Leges primitivas etiam Consuetudines Ordinis, et ea, quae successu temporis Magni Magistri sanxere.

DCCXLII.

Codex chartaceus germ. Sec. R. 1143 XVII. Folior. 110. 4. duabus partibus constat, quarum Prior inscribitur: *Celsissimi T. O. (Teutonici Ordinis) Privilegiorum Liber*, et continet primum Bullas Pontificum, dein Imperatorum *Friderici tantum II. Ottonis IV. et Philippi* Diplomata Ordini data, maximam partem germanice versa, quibus etiam accedunt *Ulrici Carinthiae, et Alberti Austriae Ducum Literae, Indulgentiae Ecclesiis Ordinis concessae, et Facultates dispensandi*, quibus Ordinis Presbyteri gaudent. Ad singula haec Monumenta notatur, quibus in locis eorum Authentica hodie serventur. Pars altera titulum praefert: *Celsissimi T. O. Regularum et Statutorum Liber*, et post brevem Relationem historicam de Ordinis institutione, progressu et confirmatione continet *Regulam XIX. Capitibus comprehensam*, prout a M. Magistro *Maximiliano Archid. Austr.* renovata dicitur, demumque *Statutorum Capita XV.* omnia haec lingua vernacula.